



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

83. An qui occidit inimicum, cui fideiussionem dederat de non offendendo, gaudeat Immunitate Ecclesiarum? Et an iudex sæcularis teneatur delinquentem restituere Ecclesiae ab illa cum licentia Episcopi ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76442](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76442)

# De Immunit. Eccles. Resol. LXXXI. 49

docere Gambacur. lib. 5. cap. 4. num. 19. & seg. Probat hanc opinionem ex cap. 1. de homicidio, & ex consuetudine multorum locorum.

2. Sed post nostram Constitutionem hæc opinio est proflus reprobanda, sicut illam reprobatur Riccius part. 5. collect. 1792. Peregrinus de immunit. cap. 7. n. 15. & alij; nam Summus Pontifex in ista Constitutione excipit tantum homicidium proditorium, ubi nullus precedebat rancor, sed potius simulabatur amicitia: ergo non est dicta exceptio extendenda ad homicidium non proditorium; dato, quod deliberatè, & ex industria sit commissum, quia dicta Bulla non sustinet extensiones ad alios casus; ibi non expressos, cum reducat omnia ad unam formam, ut sapè diximus, cum particula taxatiua, *tantum*; & excipiendi aliquos casus; exceptio firmat regulam in casibus non exceptatis. Ex quibus patet responsio ad argumenta Gambacur. nam, ut probauimus supra q. 1. hæc Bulla Gregor. X IV. derogat ius commune, & consuetudines contra eius formam: ergo in nostro casu non valet argumentum ex c. 1. de homicidio, neque ex consuetudine; stante derogatione iuris communis & consuetudinum supradictæ Bullæ.

## RESOL. LXXXI.

An qui occidit inimicum non proditoriè, sed per insidias, gaudeat Immunitate?

Et notatur, quod per homicidium proditorium intelligitur illud, ubi nullus cum occiso precedebat rancor, sed potius simulabatur amicitia, unde non dicitur proditor, qui occidit inimicum suum à tergo, vel ex fenestra cum archibus. Ex part. 1. tract. 1. Ref. 5.

§. 1. Negatiuè respondet Gambacur. lib. 5. cap. 4. & 31. & Villadieg. in Polit. cap. 3. num. 208. ubi docet, non obstante Constitutione Gregoriana, homicidium insidiosum non gaudere hac immunitate. Vide etiam Suarez de Relig. tom. 1. tract. 2. lib. 3. cap. 11. num. 10. Fagund. de Præcept. Eccles. tractat. 1. lib. 4. num. 46. & Portel. in dubiis regularib. verb. Ecclesie immunitas, num. 15.

2. Sed isti scripserunt ante Bullam, & in loco, ubi non est recepta, & idè omnes scribentes post dictam Bullam, contrarium docent. Ita tenet Peregrin. in tract. de immunit. cap. 7. num. 5. & 20. Ambrolinus de immunit. cap. 16. num. 142. & Bonacina de legib. disp. 3. q. 7. §. 4. num. 14. Et ratio est: quia est differentia inter homicidium proditoriè commissum, & non proditoriè; sed Bulla ex immunitate solum excipit homicidium proditorium, ergo non excludit non proditorium. Et clarè hoc determinauit Clemens VIII. referente Cardinali Burghesio, & Platra: nam in quodam Breui Archiepiscopo Panormitano directo, ut supra visum est determinat quosdam occisores, qui ex insidiis inimicum occiderunt, gaudere immunitate Ecclesiastica, stante Bulla Gregor. XIV. quidquid in contrarium sentiat de mente Clem. VIII. Marius Italia de immunit. lib. 1. c. 5. §. 4. n. 1. qui ut Farinarius benè obseruat, diuinat, & minimè audiendus est. Nota verò, quod nos per homicidium proditorium intelligimus illud, ubi nullus cum occiso precedebat rancor; sed potius simulabatur amicitia. Vide contra Gambacurram & Megalam in 3. p. lib. 4. c. 2. quæst. 1. nu. 18. & Bobadillam in Polit. tom. 1. lib. 2. c. 14. n. 38. & non dicitur proditor, qui occidit inimicum suum à tergo, vel ex fenestra cum archibus. Ita docet Bartol. in leg. respiciendâ. §. delinquitur, n. 1. ff. de pœnis. Et ita præter Ambrosinum,

Tom. IX.

Farin. & Peregrin. docet in terminis huius Bullæ, Ricc. part. 5. collect. 1792. & part. 1. decis. 168. num. 1. Genuens. in praxi, cap. 94. & ita etiam ante dictam Bullam fuisse decisum in Regno Neapolitano testatur Vincent. de Franch. in decis. 713. Cum igitur immunitas Ecclesiæ sit fauorabilis propter reuerentiam sacrorum locorum, & exceptio sit odiosa, verbum proditoriè, strictè interpretandum est, licèt nonissimè contrarium asserat Fagundez de Præcept. Eccles. tract. 2. lib. 4. cap. 4. num. 46. cum Portel. in dubiis Regul. verb. Ecclesia immunitas, num. 15. Sed isti scripserunt in Hispania, ubi Bulla Gregor. non est vsu recepta.

90 §. vlt. & in Ref. 82 §. 1. ad medium.

Sup. hoc supra in fine Ref. 23 & 60. §. Sed ego.

## RESOL. LXXXII.

An qui occidit amicum reconciliatum, tanquam proditor, careat Immunitate. Ex part. 1. tract. 1. Ref. 35.

Sup. diff. huius tituli in Ref. seq. §. 2. cursum ad medium.

§. 1. Suppono, inter inimicos non esse homicidium proditorium: nam tunc dicitur quis proditoriè occidere aliquem, quando inter illum, & occisum nullus precedebat rancor, sed potius simulabatur amicitia ut putà, quia insimul comedebant, vel simul erant in itinere. Et ita docet Ambros. de immunit. cap. 6. num. 1. Peregr. etiam de immunit. c. 7. n. 2. & alij. & idè, ut supra diximus, etiam occidens inimicum retrò, non dicitur committere homicidium proditorium: quia debebat præcauere ab inimico suo, ut ex doctrina Bartoli sequuntur scribentes omnes post Bullam Greg. licèt illos carpat, & irrideat, sed immetitò, Gambacur. lib. 5. cap. 12. num. 3.

Sup. in Ref. quæ hic est antecedens §. 2. post medium.

2. Hoc supposito, respondeo, occidentem amicum reconciliatum gaudere immunitate: quia talis non dicitur proditor, & Bulla excipit tantum homicidium proditorium. Et ita fuisse decisum in Curia Archiepiscopali Neapolitana testatur Riccius p. 1. decis. 168. num. 2. ubi ait: [Cum dubitaretur in Curia Archiepiscopali, si occidens amicum reconciliatum dicitur proditor, fuit communi omnium voto conclusum, minimè potuisse dici proditorem: amicus enim reconciliatus æquipollet inimico.] Ita ille, & adducit multas alias rationes, & DD. Ad illum, & non pigebit.

## RESOL. LXXXIII.

An qui occidit inimicum, cui fidei iuramentum dederat de non offendendo, gaudeat Immunitate Ecclesiarum?

Et an iudex secularis teneatur delinquentem restituere Ecclesie ab illa cum licentia Episcopi abstractum, si constet postea reum non commisisse delictum in Bulla exceptuatum?

Idem dicendum est, si suasionibus, vel blanditiis reus fuit inductus, ut ab Ecclesia exiret.

Et an delinquens ab Ecclesia extractus, si à carceribus aufugit, & iterum captus est in loco non immuni, abus Ecclesie restituendus sit? Ex part. 4. tract. 1. Ref. 34.

§. 1. Negatiuè respondet Peregrinus tract. de immunit. Ecclesiarum, cap. 7. num. 10. quia proditoriè dicitur in tali casu occidisse proditio enim nihil aliud est quàm deceptio contra fidem. Ita ille, qui pro hac sententia citat aliquos.

2. Sed ab affirmatiua sententia contra Peregrinum non est recedendum, quam tuetur nonissimè doctus Iuriconsultus amicus noster Anton. de Mari-

E nis

Sim. in Ref. quæ hic est antecedens §. 2. post medium.

Sim. in Ref. quæ hic est antecedens §. 2. post medium.

nis *resolut. quotid. cap. 174. nu. 3.* quia proprie homicidium proditorum dicitur, cum ab amico, nullo precedente rancore, patitur, simul comedendo, vel deambulando. Sed in casu de quo loquimur, hoc non adest, imò contrarium, quia propter inimicitiam precedentem praesumi debet odium adhuc durare: ergo, &c. & idem asserit idem de Marinis, me citato, Occidens amicum reconciliatum non dicitur homicidium, proditorum commississe, quod autem in nostro casu adfit fideiussio de non offendendo, nihil efficit, non enim ex illa dici potest proditorie occidisse, quia adhuc stante fideiussione praesumi poterat odium durare, & suppono inter occisorem & occisum post dictam fideiussionem strictam amicitiam minimè extitisse, v. g. simul comedendo, alloquendo, commorando, &c. Ergo, &c.

3. Notandum est etiam hic obiter cum dicto de Marinis *ubi supra cap. 175. nu. 4. & seq.* quod iudex secularis tenetur delinquentem restituere Ecclesiae, ab illa cum licentia Episcopi abstractum, si constat postea reum non commississe delictum in Bulla exceptuatum, *infra* latius dicendum est. Et hoc etiam in cap. 78. docet, me citato, si suasionibus, vel blanditijs reus fuit inductus, vt ab Ecclesia exiret, nam in tali casu etiam Ecclesiae restituendus erit, & cap. 80. tenet, quod delinquens ab Ecclesia extractus, si à carceribus aufugit, & iterum captus est in loco non immuni, adhuc Ecclesiae restituendus erit.

## RESOL. LXXXIV.

An qui proditorie occidit infidelem, gaudeat Immunitate?

Et an occidens infidelem pretio conductus non sit assassinus, & gaudeat Immunitate Ecclesiae? Ex part. 4. tract. 1. Ref. 105.

Sup. hoc inf. Ref. 87. §. 2. & 3.

§. 1. Negatiue respondet Castrus Palau *tom. 2. disp. vnica, de immunit. punct. 9. nu. 31.* Peregrinus *de immunit. cap. 7. nu. 15.* Farinacius in *append. cap. 8. nu. 20.* & Marius Italia *lib. 1. cap. 3. §. 3. nu. 7. & seq.* quia Gregor. XIV. in constitutione excipit proditorem proximium suum occidentem; sed proximi appellatione comprehenduntur omnes homines cuiuscunque fuerint conditionis, vel cultus, seu Religionis, vt late probant supradicti Doctores ergo, &c.

2. Verum his non obstantibus contrariam sententiam docet Ambrosinus *de immunitate, cap. 7. n. 12.* vbi sic ait. Inferitur quod etiam si quis proditorie occiderit infidelem, non propterea est priuandus immunitate ista, quia si assassinus debet gaudere ea, si assassinat infidelem, multo magis proditor, cum maius sit assassinium proditione. Ita Ambrosinus, quem sequitur Martinus Bonacina in *Decalogum disp. 3. §. 7. punct. 6. §. 3. nu. 6.* qui ait. Ille infidelis, strictè loquendo, non videtur noster proximus, cum nobiscum non communicet in fide, in Sacramentis, & in Ecclesia, ergo non includitur in Bulla Gregor. & ideo hanc opinionem tanquam probabilem & fauorabilem immunitati Ecclesiae in praxi amplectendam esse puto.

Sup. hoc ibi- dem.

3. Notandum est etiam hic obiter, occidentem infidelem pretio conductum non esse assassinum, & gaudere immunitate Ecclesiae. Ita Ambrosinus vt visum est cum Castro Palao loco citato, *nu. 35.* & alijs penes ipsum, contra Farinacium in *append. cap. 8. numero 120.* Decianum *lib. 6. cap. 28. numero 18.* & alios.

## RESOL. LXXXV.

An, qui conductus pecunia occidit inimicum mandantis, praesente ipso mandante, gaudeat Immunitate Ecclesiarum?

Et quid de mediatore assassini? Ex part. 4. tract. 1. Resol. 109.

§. 1. Affirmatiue respondet Hieronymus Gabriel *lib. 1. consil. 170.* & Castrus Palau *tom. 2. disp. vnica, de immunit. Eccles. punct. 9. n. 36.* quia tunc occisor; auxilium videtur praestare mandanti, ipseque mandans videtur ibi esse praecipuus occisor; cum autem ab eo se debebat occisus praecavere, non censetur illa occisio proditorie facta; ac proinde nec digna immunitatis priuatione. Ita Castrus, & ego in part. 1. tract. 1. \* *resol. 33.*

2. Notandum est etiam hic obiter, mediatorem, seu proxenetam assassini gaudere immunitate Ecclesiarum, quia non dicitur verus assassinus, Ita nouissimè Ant. Nouar. in *summ. Bullar. tit. de immunit. Eccles. nu. 72.* qui citat alterum Nouarium, Rouitum, & Gambacurtam.

## RESOL. LXXXVI.

An mediator assassini, gaudeat Immunitate Ecclesiarum? Ex part. 4. tract. 1. Ref. 33.

§. 1. Negatiuam sententiam docet Peregrinus *de immunitate Ecclesiastica cap. 7. nu. 37.* vbi sic ait. Praeterea socij, & complices huius criminis assassini, qui habuerint scientiam qualitatis assassini, non gaudent immunitate. Ita ille, qui citat Caballum in *tract. de omni genere homicidij, nu. 412.* & Tusch. *tom. 3. lit. E. conclus. 10. n. 10. & conclus. 11. n. 7.* sed in hoc casu mediator huius criminis est complex & particeps: ergo, &c.

2. Sed his non obstantibus, & merito, affirmatiuam sententiam tenet Antonius de Marinis in *solut. quotidian. cap. 171. nu. 5.* Gambacurta *de immunitate Eccles. lib. 5. cap. 34. nu. 14.* Masullus in *addit. ad Capie. decis. 112.* Ratio est, quia Doctores in cap. *pro humanis, de homicid. in 6.* asserunt sub nomine assassini non veniunt mediatorem, & sic fuisse decisum in sacro Concilio, anno 1615. refert Rouitus in *pragm. 1. de assassinio, nu. 29.* Sed in Bulla Gregor. excipiuntur, ne gaudeant immunitate Ecclesiarum tantum assassini; ergo mediatores debent immunitate gaudere.

## RESOL. LXXXVII.

An assassinus, gaudeat Immunitate, etiam homicidio non sequuto?

Et an in occasione infidelis detur assassinus, vel necessarium sit, vt occisus sit Christianus?

Et notatur mandantem non dici assassinum.

Et an sit assassinus, qui promisit occidendi aliquod se ab eius parte pro ipso officium obtinere?

Et an dicatur assassinus, qui animo complacendi tantum alicui homini homicidium perpetravit?

Et an non sit assassinus, qui accepta ab aliquo pecunia occidit communem inimicum, vel si recepta pecunia aliquem interfecisset praesente ipso mandante: aut qui promissionem, vel oblationem pro homicidio non acceptauit; vel si accepit paruum quantitatem pecuniae;

ant